DE
TELANGIECTASIIS TRACTANDIS, METHODORUM, VRATISLAVIAE QUAE USITANTUR, RATIONE HABITA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE V. M. AUGUSTI A. MDCCCLXII. 1862

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JULIANUS BENDOWSKI,
POSNANIENSIS.

PARTES ADVERSARIORUM AGENT:

DR. RUDOLPHUS JORDAN, MED. PRACT

SIGISMUNDUS STANOWSKI, MED. DD.

VRATISLAVIAE.
TYPIS OFFICINAE A. NEUMANNI.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, CELEBERRIMO

A. TH. MIDDELDORPF,

MED. ET CHIR. DOCTORI, PROFESSORI PUBL. ORD. FAC. MED., CLINICE CHIRURG. OPHTHALM. UNIV. VRATISL. DIRECTORI, IN NOSOCOMIO O. S. VRATISL. CHIRURGO PRIMARIO, COM. REG. AD EXAMIN. MED. DELECTAE MEMBRO, FACULT. MED. H. T. DECANO, ANGUST. BORUSS. REG. IN REBUS MED. A COSILIIS, LEGIONIS HONORARIAE ET AQUILAE RUBRAE EQUITI, LITTERARUM SOCIETAT. COMPLURIUM SODALI CET.

PRAECEPTORI BENEVOLENTISSIMO, DILECTISSIMO,

EGREGIE DE SE MERITO SUMMEQUE SEMPER VENERANDO

NEC NON

VIRO

NOBILISSIMO, GENEROSISSIMO

H. DE RADOŃSKI,

DOMINII SIEKIERKIENSI POSSESSORI

FAUTORI BENEVOLENTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Constitui quidem de tractandis Telangiectasiis tantum scribere, tamen de Aetiologia quaedam, de Anatomia, de Symptomatologia, Diagnosi, Prognosique praemittenda mihi videntur. Morbum qui Telangiectasia nominatur in luxurie morbosa capillarium constare notum est. Ac quod ad nomen ipsum attinet a Graefe illud primum in usum vocatum est; alii autem aliter morbum illum appellabant,[1]) in quibus J. L. Petit[2]) A. J. Bell[3]) primi acuratius eum descripserunt.

Pathogenesis et Aetiologia.

Plurimae Telangiectasiae congenitae sunt, paucae ex traumatica oriuntur ratione, ut illae quas Chassaignac descripsit, [4]) aut quam Krause commemorat. [5]) Quomodo autem in foetu Telangiectasiae oriantur, haud plura scimus, quam de ceteris malis, qui ex vita intrauterina originem ducunt. Sunt qui matres in graviditate rem aliquam cupide contemplantes contrahere morbum illum

[1]) Petit: Loupes variqueuses, J. Bell: Aneurysma par anastomosin, Abernethy: Branches anastomotiques, Boyer: Tumeurs fongueuses sanguines Colliscn, Wardrop: Naevus maternus, Naevus vasculosus, Naevus subcutaneus, Manget: Tubercula atra cruenta cet.

[2]) Oeuvres posthumes F. 1. pag. 276.

[3]) Principles of Surgery, vol. I. disc. IX. 1796.

[4]) Chassaignac: Traité de l'écrasement lineaire pag. 510 et 515. 1856.

[5]) Archiv für klinische Chirurgie v. Langenbeck. Bd. II. pag. 142. 1862.

in foetum putent, qua de re Cooper Forster haec dicit: „I do not think their connexion with some object impressing the mother's imagination during the period of gestation, is an idea entirely to be discardet, though I would not, certainly, be supposed to credit the extraordinary tales related by many women. There is no doubt, however, of the mind beingt in a peculiarty susceptible state during that period, and this, to a certain extend, accounts for the fancies then indulged in" [1]) Nonnulas vero Telangiectasias paulo post infantem natum non oriri existimo sed apparere, quorum initium quidem jam prius in utero existeret. Traumaticarum autem origo item ignota est et tantum sanguinem in dilatatis vasorum luminibus admodum lente circulare et stagnare scimus. „Le sang y stationne ou y coul plus lentement, qu'ailleurs car toujour ces vaisseaux sont remplis de globules, après la mort comme de l'ablation de la tumer." [2]) Egomet cum iis consentio, qui Telangiectasiarum originem in morbo parietum cappillarium quaerunt. Quo quidem morbo vasa certis in locis laxiora facta impetui sanguinis resistere non queunt, quapropter facere diverticula conantur, quae rurus in ramos exire, qui inter se quodammodo communicare omnemque locum inter capillaria normalia explere possunt. Qui autem fit, ut processus aut progrediatur, aut sistat, nescire me confiteor.

Anatomia.

Telangiectasiae modo arteriales, modo venosae, modo mixtae; circumscriptae, sphaericae, prominentes inveniuntur, aut planae, diffusae, patentes. Textura saepenumero vasculosa solum est, tela conjunctiva exigue vasis interposita, nonnunquam autem tela conjunctiva largiter interjacet, in qua luxuries adipis oriri potest, quomodo id existit malum, quod Walther Naevum materum lipomatodem, Chelius Telangiectasiam lipoma-

1) The Surgical diseases of Children by J. Cooper Forster. London 1860. Comparandum: Klein in v. Siebold Journal für die Geburtshülfe Bd. I. St. 2.

2) Follin: Traité élémentaire de pathologie extern. T. I. pag. 204. 1861.

todem nominaverunt. Telangiectasia neoplasma verum vasorum esse exhibet Förter,[1]) in quo capillares normales in ambitum currunt aut ansas formant, quae inter se communicationes ineunt et rete faciunt, ex quo processus orientes rursus ansas conficere conantur. Praeterea multi sinus in tumore inveniuntur, qui primum cum vasis communicant primariis, quae communicatio saepenumero obliterari solet, et eo modo sinus cavernosi clausi, sanguine impleti oriuntur. Sedes Telangiectasiarum in omnibus organis corporis humani esse potest. Lebert malum in ependymate cerebri observavit; Bell descripsit Telangiectasiam intestini jejuni, quae in museo Londinensi asservatur, alii in hepate, alli in utero, alii in ossibus malum illud invenerunt.

Symptomatologia.

Maxima Telangiectasiarum pars studio et amore quodam in cute externa apparet, ubi Naevorum cognomina ducit, et per hunc modum distribui solet, ut saepissime in capite, rarius in facie, in colo, pectore et extremitatibus existit. In cute rubicundulas, aut subalbicantes, aut subcaeruleas maculas, regulares, aut irregulares, aut sphaerulas, quae nonnunquam capillis tectae sunt, formant, nonnunquam acinis similes, unde trivialia, quae vocantur, nomina trahunt. Aliae per totam vitam non amplificantur, aliae ad certum tempus majores fiunt, pubertate peracta saepissime crescere desinunt, aliae autem crescentes per aliquod tempus sistunt, et post menses aut annos aliquot de novo augeri incipiunt. Clamore, cantu, aut anhelitu implentur sanguine, majores durioresque fiunt, compressione autem evacuantur, palescunt. In Telangiectasiis arterialibus pulsationem nonnunquam tactu detegere possumus, aut crepitationem auribus percipimus; venosi autem circulatione prohibita augentur, ut in graviditate. Naevos saepe sanguinem transsudare inter medicos constat, et quod quidem mirabile est, apud feminas tempore catameniali naevos sanguinem effundere notum est. Et Kreysig

[1]) **Försters Handbuch der allgemeinen pathologischen Anatomie.**

quidem feminam vidit 72 annos natam, cujus Telangiectasia in digito manus unoquoque mense sanguinem transsudavit.[1] Similes casus Defrance et Desault observaverunt.[2] Telangiectasiae internae similem effectum evocant, qualem omnino tumores efficere solent.

Diagnosis.

Perscrutantibus nobis symptomata Telangiectasiarum apparet, textum morbosum haud difficilem esse intellectu, si neoplasma modo in superficie corporis humani effloruit. Simulac malum in ossibus, aut omnino in interioribus exstitit organis, diagnosis difficilis, aut impossibilis fieri potest. Cavendum est praecipue, ne Telangiectasia fungus medullaris putetur.

Prognosis.

Prognosin ad sedem mali praecipue referendam esse censeo, quod si in encephalo, aut in praestantibus exstitit organis, prognosis infaustior apparet, quam si Telangiectasia in cute, aut in textu subcutaneo sita est; quanquam Naevi cutanei ancipites quoque et periculosi esse possunt, propter haemorrhagiam, quae vel minima ex causa, nonnunquam sua sponte maxime periculosa et ominosa fieri potest. Telangiectasiae crescentes in diem magis magisque prognosin dubiam, aut infaustam faciunt, quae si membra aut ossa occupaverunt, amputationem indicare possunt. In universum Telangiectasiae non sunt tam periculosae; radiciter evulsae recidivam inire non solent.

Therapia.

Cura Telangiectasiarum ad solum pertinet chirurgum, qui multa habet remedia ad removendos aut comminuendos tumores, quamquam haud rare operatio pros-

---

[1] Blasius: Handwörterbuch der gesammten Chirurgie und Augenheilkunde. Art. Telang.

[2] A. Nélaton: Élémens de Pathologie chirurgicale T. I. 1844.

pero caret eventu. Antequam de ope chirurgica in tractandis, Telangiectasiis orationem instituam, commemorandum est, Naevos maternos congenitos nonnunquam sua sponte sanari, quod praecipue in Naevis parvis, parum diffusis accidere solet,[1] breviter post infantem natum. Primum quidem exulceratio superficialis Naevi accidit, quae vasa Neoplasmatis devastat, ad obliterationem reducit, quo facto tumor in cicatricem redit. Wardrop Naevum in gangraenam transire vidit, quae sanationem effecit. Buffos casum descripsit, in quo Naevus lente exalbuit, et apparere desiit, idque Moreau et Alier observavere.[2]

Quoniam autem Naevi plane diffusi non tam periculo sed potius turpitudine molesti sunt, quum in facie sedem habent, paliativa remedia proposita sunt ad colorem naturalem faciei restituendum. Pauli de Laudan et Cordier[3] loco faciei rubro aut caeruleo diversis pingendi modis colorem plus minusve normalem et durantem restituere studuerunt, et multa experimenta ad hunc finem fecerunt, quae omni prospero eventu caruisse constat, quoniam textus morbosus methodum ad vanum et irritum redegit, aut, quod gravioris est momenti, pigmentum sanguine mixtum vitam aegroti in discrimen vocavit. Propterea methodus illa, quae paucis in casibus satis profuisse dicitur, justo in oblivionem rediit. Quod autem ad therapiam liberationem aegroti morbo spectantem pertinet, tres sunt modi, qui chirurgo Telangiectasias trastanti ante oculos versari debent.

I. Remotio texti morbosi.

Remotionem tumoris, qui Telangiectasia efficitur, pluribus adipisci potest rationibus chirurgus, quarum unaquaeque ex specialibus prodit indicationibus. Atque primam remotionem tumoris ligatura factam describam, quae methodus saepe usurpatur, quaeque multis in casibus ad prosperum ducit finem.

[1]) Follin: Op. citat pag. 212.
[2]) Nélaton Op. citat.
[3]) Revue medico-chirurgicale B. IV. pag. 25.

A. Ligatura.

Metus haemorrhagiae, quae post excisionem Telangiectasiae accidere solet ad ligaturam applicandam, ubicunque fieri potest, chirurgos duxit. Quatuor autem genera ligaturae in Telangiectasias applicanda enumerat Follin, [1]) quibus quintam, ligaturam candentem, addo.

a. Ligatura simplex filo facta.

Quae in tumores erectiles pedunculatos, qui in labiis, naso et genitalibus muliebris inveniuntur adhibita, post aliquot dies restitutionem ad integrum efficit.

b. Ligatura composita.

J. Bell auctore Paré ligaturam compositam hoc modo fecit: Acum filo duplici armatam sub medium tumorem duxit, utrumque filum autem circa utramque partem basis tumoris circumvolvit religavitque. De White et de Lawrence hanc methodum saepius prospere adhibuerunt, quae in parvos tantum tumores cavernosos et supra superficiem prominentes est adhibenda. Ad majores hoc modo tractandos tumores aliam methodum Cooper Forster comendat. [2]) Duae acus filis duplicibus armatae in crucis formam sub tumorem ducuntur, quo facto tumor in quator partes dividitur, quarum unaquaeque singulatim constringitur duobus vicinis finibus filorum separatim junctis; aut etiam acus bene curvata in intervallo quodam in circulo circiter tumorem subcutane circumducitur et postea fines fili juncti adtringuntur, aut si tumor haud parvus est, sub medium duo fili submittuntur, alter finis utriusque fili in modum descriptum circiter tumorem dimidium circumducitur subcutane et cum altero jungitur adtringiturque. Ligatura hoc modo bene applicata serum sufflavum ex tumore transudare dicitur, quam ob rem nonnulli tumorem ligatum acubus pungere jubent, ut serum defluere possit. Omnes methodi ligaturae com-

---

[1]) Follin Op. citat.
[2]) Cooper, Forster Op. citat.

positae in parvos pro aliis tumores tantum sunt applicandae; nonnunquam autem haemorrhagiam efficiunt, et saepenumero superficiales tantum tumoris partes vastant, dum profundae intactae remanent.

c. Ligatura circumvoluta.

Hanc quoque Paré commendavit, Fagolle, Rigal, multique alli exercuerunt, et quidem multis in casibus prospero eventu. Qui medici illam primi adhibuerunt, ii acus capitatas sub tumorem paribus intervallis inter se distantes transmiserunt. Inter binas autem acus bina fila transsuerunt, quorum unumquodque cum proximo filo junxerunt adstrinxeruntque sub fine prominente acus capitatae. Quo facto aditus sanguinis ad tumorem prohibitus est, tumor exalbuit, induravit, duodecimo aut quatuordecimo die sine suppuratione decidit cicatricem minime turpem relinquens. Forster hanc methodum sequens duas acus capitatas sub tumorem in modum crucis transfigit, quarum sub finibus prominentibus tumorem filo in modum circuli circumvolvit et adstringit, et eo modo casu certo parvum tumorem jam post quatuor horas ad decidendum coegisse se narrat[1]). Idemque medicus etiam una acu capitata transfixa, alia autem filis dobus armata in modum crucis sub tumorem transsuta, utriusque fili fines sub utroque fine acus capitatae jungit adstringitque. Günther autem duobus acubus capitatis per modum crucis sub tumorem transfixis tumorem filo sub acubus in circulo ducto vincit, adstringit, et glaciem supra tumorem ponit, qui frigore moritur et decidit[2]). Quae methodi descriptae a Forstero laudatae in Telangiectasiis subcutaneis, prominentibus, parvis tractandis magni sunt momenti, sed ad planas et patentes removendas nihil valent.

---

[1]) The Surgical diseases of Children by J. Cooper, Forster London 1860. pag. 238.

[2]) Günther: Leitfaden zu den Operationen am menschlichen Körper.

d. L'écrasement linéaire.

Chassaignac, invento instrumento suo, eodem inter primis operationibus ad removendum tumorem erectilem infantis usus est[1]). Re vera Écraseur ad removendas Telangiectasias adhiberi potest, ubi tumores isti pedunculati sunt, aut arte pedunculati fieri possunt, ubi igitur ligatura simplex, aut composita sufficit.

e. Ligatura candens.

Ea cultri et cauterii virtutes, ut omnibus chirurgis notum, conjungit[2]), eaque, ubicunque simplex, aut multiplex, aut circumvoluta ligatura, aut Ecraseur sunt adhibendae, sane praestantissima esse videtur. Oprobria Linharti, quasi Galvanocaustica ob intensam vim combustivam non ubique sit adhibenda, rejicienda sunt, nam batteria, quae dicitur galvanica, ita commutari potest apparatu, ut omnes gradus caloris a minimo usque ad maximum assumatur.

B. Cauterisatio.

Fabricius Hildanus ferro candente ad Naevos funditus extiguendos usus est, quod multis in casibus bonum remedium se praebuit. Post illum diversis temporibus diversa cauteria et actualia et potentialia adhibita sunt, et ea quidem:

a. Cauteria actualia.

Saepissime adhibitum est:

α. Ferrum candens, quod post Hildanum a Morin, Mannoir et Graefe, qui quatuordecim Telangiectasias superficiales hoc modo sanavit[3]), libenter et

---

[1]) Chassaignac: Traité de l'écrasement linéaire. Paris 1856. pag. 335.

[2]) Middeldorpf: Die Galvanocaustik. Breslau 1854. Linhart: Compendium der chirurgischen Operations-Lehre. Wien 1861. pag. 49 seq. Bardeleben: Lehrbuch der Chirurgie und Operations-Lehre. Berlin 1860. Bd. I. pag. 125 seq.

[3]) Velpeau: Médecine operatoire Tom. III. pag. 44. Paris 1838.

cum amore quodam adhibitum est. Dupuytren quoque, qui ferrum candens saepius usitare consuevit, virtutes ejus et vim in parvis et superficialibus Naevis laudat, ad majores et profundiores tumores repellendos adhibere monet, quoniam parum intensivum effectum habet.

β Platinum candens. M. Gustavus Crussel[1]) et M. Nélaton[2]) prima experimenta fecerunt platino, calore galvanico calefacto, idque ad tumores vasculosos comburendos adhibere suaderunt, sed rem ipsam in nuce jacentem conficere et in usum evocare Illustrissimo Middeldorpf reservatum erat.

Et re vera quidem calori galvanico nihil simile est. Quapropter et ad Naevos superficiales et profundiores devastandos nihil aliud tam bene adhiberi potest, si omnino cauterio sunt removendi, nisi Galvanocaustica, quae certo textum morbosum in escharam mutat, qua delapsa, cicatrix pulchra remanet.

b. Cauterium potentiale.

Furner, F. Hildanus, Muys, Callisen[3]), Hodgson cauteria potentialia diversa adhibuerunt ad tumores vasculares removendos, et diversos evocaverunt effectos. Guthrie Arg. nitric laudat, Wardrop[4]) Kali caustico utitur, Bérard pasta caustica viennensi[5]). Philipeaux pastae e Zinco chlorat.[6]) praeconem se exhibuit, alii Unguentum ammoniacale Gondreti, alii, ut Siebold, Pulv. Cosmi, aut pastam arsenicosam, alii autem Tinctr. Jodi et Arg. nitr. fus. per aliquot menses adhibere jusserunt. Kali causticum Forstero utile videtur in Naevis late patentibus, haud profundis tractandis, quamquam Lawrence, ex usu hujus remedii, incommoda quaedam vel etiam mortem oriri posse

---

[1]) Journal de médecine de la Russie 1846 pag. 136, 295 cet.
[2]) Gazette des Hôpitaux 1853 Nr. 60.
[3]) Chirurgia hodierna pag. 204.
[4]) Archives de médecine 2 série t. VI. pag. 195.
[5]) Bérard: Compend. chirurg. t. I.
[6]) Philipeaux: Traité pratique de la cauterisation. Paris 1856. pag. 197.

affirmat. Omnia caustica potentialia descripta, pasta e Zinco chlorato excepta, quae coagulationem sanguinis efficit, haemorrhagiam prohibere nequeunt, et ea propter caute et prudenter adhibenda esse censeo.

Commemoratione dignum quoque mihi videtur remedium, quod Chassaignac ad cicatricem pulchram efficiendam commendavit, quodque „Cautérisation sèche" nominavit. Eschara pasta Viennensi revocata Aceto crudo dilluto lavatur, postea siccatur, et boleto igniario moli tota tegitur. Boletus hoc modo adhibitus cum eschara jungi dicitur et tum demum simul cum eadem delabi, postquam cicatrisatio pulchra finita est[1]).

Follin aliam methodum ad haemorrhagiam ommittendam, quae pasta caustica Viennensi adhibita fieri solet, proposuit. Postquam epidermis pasta deleta est, Aceto crudo dilluto lavatur, siccatur et pasta e Zinci chlorati et Amyli partibus aequalibus facta tegitur, quae quatuor horis praeterlapsis removetur. Loco, in quem cauterium adhibitum erat, eschara subfusca, dura oritur, sub qua sanguis coagulatur.[2]) Aliam methodum cauterisationis internae idem Chirurgus describit,[3]) quae alio loco a me describenda erit. Fasciola lintea pasta e Zinco chlorato illita per tubulum troicari in tumorem inducta est, ubi per quatuor horas remansit. Sanguis circa fasciolam coagulatus est, tumor minor factus, ubi setaceum fuit, quod rursus in alium locum reductum est, ubi iterum idem eventus apparuit; sed finem curae Follin observare non potuit. Macke ad Telangiectasias parvas, in cute collocatas, apud infantes depellendas Collodium causticum praeparavit et adhibuit,[4]) quod ex quatuor partibus Hydrarg. bichlorati in triginta partes Collodii constat, quod escharam effecit, et neoplasma comprimit, et hoc modo ad tabescendum cogit.

Omnia caustica potentialia causticis actualibus non

---

[1]) Chassaignac: Traité clinique et pratique des operations chirurgicales t. II. pag. 253.

[2]) Follin: Op. citat. t. I pag. 221.

[3]) Follin: eodem loco.

[4]) Dublin Hospital Gazette, juil. 1856.

sunt conferenda, et ubique si non ferro, galvanocaustica certe possunt reconcinnari.

C. Exstirpatio tumoris.

Quae methodus a Chassaignac con amore quodam exercetur: „En principe, je préfère l'ablation des tumeurs érectiles à toute autre méthode, et toutes les fois qu'une tumeur érectile est d'un volume peu considérable sur tout si elle se trouve sur le trajet d'un vaisseau susceptible dêtre efficacement comprimé pendant l'operation, j'eu conseille et j'eu pratique l'ablation.“ [1]) Sed nonnunquam periculosa est, et omni loco adhiberi nequit. Jam Paré Telangiectasias in curabiles et incurabiles distribuit, quae distributio ex haemorrhagia post operationem accidente minus periculosa aut periculi plena prodiit. Wardrop in operatione aegrotum haemorrhagia mori vidit. Similes casus Roux et Kosack, viris doctissimis acciderunt. Et Forster apud liberos cultro uti vetat. Sed Günther haec dicit: „Am sichersten ist es sie (Telangiectasien) mit dem Messer zu extirpiren. Allein selten lässt sich dies der bedeutenden Blutung wegen ausführen.“ [2]) Hilton instrumentum quoddam ad partes, quae sunt circa tumorem, comprimendas, invenit, quo sanguinis aditus ad tumorem in operatione prohibeatur. Sed quoniam alii instrumento illo non utuntur, inutile esse puto. Sic omnino exstirpatio tumoris cultro perfi debet, quod in tumoribus superficialibus, limitibus certis circumdatis tractandis fieri potest, culter in intervallo quodam ex proposito Fabricii Hildani, in partibus corporis sanis incorruptisque est ducendus. Naevi pedunculati vero facile cultro removentur, qui autem degenerationem inierunt carcinomatosam, haud alia ratione, nisi cultro sunt removendi.

D. Amputatio membri, in quo sedet morbus.

Casus, qui a Krause est descriptus,[3]) nullo alio

[1]) Chassaignac: Op. cit. t. II, pag. 245.

[2]) Leitfaden zu den Operationen am menschlichen Körper. I. Theil.

[1]) Langenbecks Archiv.

modo removeri potest, nisiamputatione. Alii casus similis, qui in Hispania accidit, Lebert facit mentionem. Parva membra, ut digiti, saepe amputantur, si in iis sedes est Telangiectasiarum, quae nullo alio modo removeri possunt.

II. Vastatio tumoris vasculosi.

Vastationem tumoris duplici ratione assequi possumus, aut vi in tumorem ipsum illata, aut operationibus in intervallo quodam a tumore factis. Eo fit, ut sanguis, quo tumor nutriri soleat abstineatur. Ad hanc rationem diversae methodi sunt exercitae propositaeque, in quibus imprimis.

A. Vis tumori immediate illata.

a. Compressio.

John Bell teste, compressio ab Anglico chirurgo quodam, cujus nomen ignotum, primum in usum vocata, in tumoribus vasculosis tractandis, qui quidem vir laminis plumbicis utebatur. Quae quidem methodus a Bell et Brodie non imitatione digna est habita, a Pelletan, Abernethy, Boyer, Dupuytren et Diffenbach, qui cum compressione adstringentia frigusque conjungebant, usitata est. Ad compressionem exercendam pulvini, fasciae, loramenta, emplastra adhiberi solent. Forster laminam plumbicam, linteo circumvolutam, ligamento elastico destinatam tumori adaptat, sed parvum policetur sibi effectum. Re vera compressio in parvos tantum Naevos, supra ossa sitos, adhiberi potest hoc modo, ut non solum tumor sed et partes vicinae comprimantur. Ut Boyer affirmat multis mensibus aut annis opus est ad sanationem impetrandam. Hic ipse Boyer memorabilem casum sanationis compressione impetrandae narrat: Mater quaedam infantem Telangiectasia deformatum curae medicorum confidere noluit,

sed ipsa digito per aliquot menses compressionem exercebat. Pietas matris sanationis praetium assecuta est. Sed tamen methodus illa haud est immitanda, quia diuturnum tempus requisit et plurimis in casibus prospero caret eventu.

b. Adstringentia.

Abernethy inter alios et Günther adstringentibus Telangiectasias sanare proposuerunt, quorum primus Alumen adhibet. Follin autem partes quatuor Natrii chlorati et unam glaciei sumere suadet, quae methodus a Chassaignac laudatur. Brockard Liquorem ferri sesquichlorati adhibet, quem loco morboso epidermide servata, aut Emplastro cantharid. ord. epidermide remota, inducit. Cujus methodi eventus parum adhuc observati sunt, sed tamen probabiles esse videntur.

B. Vis tumori mediate illata.

a. Ligatura vasis sanguinem afferentis.

Antequam de hac methodo aliquid dicam, verba Nélatonis praemittenda esse censeo: „La science possède donc maintenent quarant-cinq cas de ligature appliquée au traitement de ces tumeurs. Sur ce nombre, dix ont été pratiquées sur les ramaux. Disons tout de suite qu'ancun des malades soumis à cette opération n'a été guéri; la ligature des branches artérielles doit donc être abandonnée. Dans les trente-cinq autres observations, c'est le tronc principal qui a été lié, et sur ce nombre, nous trouvons quatorze guérissons, dix morts neuf insuccès, deux cas dont le résultat n'est pas exactement indiqué.“ [1])

Observantibus nobis comminutionem tumoris vasculosi, vasibus sanguinem afferentibus compressis, tumoris vastatio ligatura vasorum acquirenda videri potest. Sed experientia aliter docet. Pelletan, Bell, A. Cooper, Roux, Dupuytren ligaturas persaepe frustra

---

[1]) Nélaton: Op. citat.

fecerunt, quod propter communicationes anastomoticas, quas vasa luxuriantia inter se et cum vasis afferentibus ineunt, aliter fieri non potest. Ligatura in continuitate circumsuta, a professore Middeldorpf inventa sola felicem efficere potest eventum, quae ab inventore in aneurismate anastomotico orbitae adhibita magnam comminutionem tumoris effecit.[1])

Velpean casum memoratu dignum narrat, qui huc pertinere videtur. Homo quidam in utraque orbita tumorem habuit cavernosum. Quorum sinister comminuebatur simulac carotis dextra compressa erat; compressione autem in carotide sinistra facta, tumor dexter minor factus, postquam autem utraque carotis ligatura compressa est, tumores comminuebantur, sed tempore quodam praeterlapso, ad primam redierunt formam.[2])

b. Ligatura vasis principalis.

Haec quoque operatio saepe fiebat a multis Chirurgis et diversum habuit eventum. Mussey, Moeller, Mason, Warren, carotidem unam, aut utramque ligatura compresserunt, ut Telangiectasias cranii curari possent. Mussey utraque carotide ligata tumorem haud diminutum exstirpare coactus est. Gravitatem et periculum operationis cum dubio eventu collatam, haud ullum Chirurgum ad eam exercendam stimulaturam esse censeo. Si res de Telangiectasiis ossium agitur, ubi illae cognoscuntur, ligaturam arteriae principalis tentare licebit, quoniam eadem solum removeri possunt.

c. Incisio circa tumorem.

A Lawrence proposita methodus exstirpationi admodum similis est, quam ob rem vix nomine novae methodi digna videtur, constatque circulari incisione in sano corpore facta, ut aditus sanguinis ad tumorem vasculosum, aut Naevum prohibeatur.

---

[1]) Abhandlungen der Schlesischen Gesellschaft für vaterländische Cultur, Abth. für Naturwiss. u. Medicin 1861. Hefte III. pag. 340

[2]) Velpeau: Leçons orales de clinique chirurgical 1841. t. III. pag. 437.

d. Ligatura Venae.

Erant, qui venam ligatura comprimere snaderent, inter quos Malgaigne ad Telangiectasiam venosam curandam, quod a nemine imitatum censeo, quia notum est, quanta discrimina et pericula ex ligatura venarum prodire soleant, imprimis Phlebitidem et Pyaemiam.

III. Transmutatio tumoris.

Haec Telangiectasias tractandi ratio tumorem vasculosum in alium tumorem, ad excidendum aptiorem, aut ulcerativum et suppurativum mutare debet, quomodo facilius tractari potest. Atque ad eum finem varii propositi sunt modi.

a. Injectio.

Anno 1828 Lloyd ad obliteranda vasa sanguifera remedia corrosiva in tumorem vasculosum injecit. Quod assecutus est punctione, per quam pars sanguinis abfluit, in cujus locum Aeth. nitrici gutt. XV cum Acid. nitr. concentr. gtt. vj ad Aquae ℥j injecit, inter quam operationem aegrotus mortuus est. Secundo Solutione Calcar. chlorat. idem Medicus usus est. Quorum utramque methodum Günther periculosam habet. [1]) Tumorem vasculosum venosum cruris Delpech hoc modo tractavit, ut vena Saphena magna ligatura circumdata Alcoholum injiceret, quo facto gangraena exstitit, quae tumorem devastavit et aegrota malo liberata est. Velpeau Tincturam Jodi, Stenley et Ribers vinum injici jubent, quod imitari periculosa res mihi videtur. A. Bérard acus, quibus ad Acupuncturam uti solemus in tumorem immisit, quae quatuor dies manserunt; remotis acubus Hydrarg. nitr. solut. injecit, sed eventus spem ejus feffelit. Hydrarg. nitr. omnino haud quisquam injicere audeat. Pétrequin duos casus communicavit, ubi injectione Acidi acetici et Acidi citrici sa-

[1]) Günther: Op. citat.

natio recuperata est.[1] Nonnuli Liq. ferri sesquichlorati uti snadebant, inter quos Malgaigne. Forster bis bonum finem hujus rationis curandi ipse vidit. Sed postquam Deville duos casus infelices nuntiavit,[2] usus Liqu. ferri sesquichlorati magis magisque neglectus est. M. H. Walton[3] Acido tannico ad injectiones utitur partes 4 ad 36, quod remedium commendatione dignum videtur.

b) Vaccinatio.

Ab Anglicis in usum vocata methodus ex observatione sanationis spontaneae, quae suppuratione spontanea facta est, prodiit. Hodgson, Earle, Downing bonos successus vaccinatione assecuti sunt. Methodum illam Forster quoque laudat in Naevis parvulis, superficialibus tractandis. Si autem infantes jam vaccinati sunt, aut variola laboraverunt, vaccinatio in curandis Naevis nihil prodest. Idemque si profluvium sanguinis lympham abluit. Quae ratio autem ab Albers proposita est, ut Unguentum Tart. stib. loco lymphae vaccinetur, nihil valet, nam Tart. stibiatum violentes vomituritiones et nonnunquam mortem efficere, notum est. Oleum Crotonis, quod nonnulli vaccinae loco adhibebant, prodesse non potest.

c) Discisio subcutanea.

Marschall Hall acubus, quibus ad acupuncturam utimur, aut cultro tenui in diversas regiones subcutane tumorem discindit, quo facto inflammatio adhaesiva oriri solet. Blandin hanc methodum saepe cum prospero eventu adhibuit[4]. Brodie tumorem subcutane Taenotomio discindit, specillum Argento nitrico armatum immittit et cauterisationem subcutaneam efficit, quo facto inflammatio adhaesiva oriri dicitur, quam sanatio sequitur.

---

[1]) Journal de médicine de Lyon 1848.
[2]) Moniteur des Hôpitaux 1853, pag. 707.
[3]) The lancet 8. mai 1858.
[4]) Gazette médical 1846, pag. 230.

d) Setaceum.

Fawdrington, aut ut Velpeau dicit Chirurgus quidam Anglicus ante Fawdrington ad Telangiectasias curandas setaceum adhibuit. Setaceum re vera et inflammationem evocat, et ad alte sitos tumores bene adhiberi potest, et superficiales partes intactas relinquit; propterea cicatrix turpans non oritur. Fila setacei per aliquot dies, sed nonnunquam per menses aliquot remaneant necesse est, usque ad suppurationem ortam, quae apud Macilwain duobus post annis primum exstitit. Quoniam effectus setacei lentus est, novissimis temporibus setaceum corrosivis medicamentis illinitur, ut inflamatio citius oriatur. Roser Marburgensis Liquore ferri sesquichlorati fila setacei irrigat, quod effectum habere optimum dicitur. Sed non est comparandum cum descripti setacei generibus, setaceum candens. Duo casus a professore Wagner narrati, ubi et technica ratio est explicata setacei candentis utendi, sufficiunt, ad virtutes ejus enumerandos.[1])

e) Acupunctura.

Postquam Velpeau Medicos admonuit acum aut omne corpus alienum in vasis sanguineis, collocatum post aliquot dies inflamationem coagulationemque efficere, proposuit Lallemand Telangiectasias acubus capitatis introductis vastare.[2]) Ad quam rationem acus corolinenses, crassitudine modica paribus intervallis distantes in tumorem introducit, et rete filorum in formam 8 confirmat, Post 7 – 10 dies suppuratio existere solet, qua peracta, luxuries telae cellulosae oritur, et tumor vasculosus metamorphosin telae cellulosae oritur, et tumor vasculosus metamorphosin telae cellulosae propriam init. Sed exitus non est semper idem, quod jam ex multis correctionibus mutationibusque, quae illa methodo factae sunt, apparet. Ita-

[1]) Med. Jahrb. Bd. II. Heft 1.
[2]) Archives générales de médicine 1835, t. VIII. p. 5.

que A. Bérard bacilla eburnea acubus substituit; Monod setaceum induxit, postquam acus 8 – 10 dies in tumore jacebant; Macilwain acus inductas candefecit, quae quidem methodus, quamquam Forstero praeter spem evenit, plurimam tamen attentionem mereri videtur, nam ibi adhiberi potest, ubi deest setaceum candens Schindler acus inductas tam diu maneri velit, usque tumore suppurato ipsae decidant,

Acupunctura omnino in Telangiectasiis superficialibus tractandis, haud late patentibus fortasse aliquid efficere potest, in tumoribus autem vasculosis, ob debilitatem suam parum valet. Denique dicendum mihi est luxuriem persaepe telae eellulosae sequi inflamationem, irritatione praecipue lenta exortam, quae tumorem reddit majorem, aut eum ita deformat, ut necesse sit, cultro excidatur.

Postremo commemoraturus sum, ejusmodi esse Telangiectasias, quae aut sede sua, aut natura, aut proprietate omnem operationem contraindicare soleant Quam ut affirmem sententiam, verba a Chassaignac dicta afferam: „Il est des tumeurs érectils, qui par leur multiplicité et par leur siége, ne comportent point l'emploi des moyens opératoires:" [1]) ad quae pertinet ab eodem viro casus enarratus. [2])

IV. Methodi in clinice Vratislaviensi usitatae.

Adumbravi breviter methodos in Telangiectasiis, Naevis, Tumoribus cavernosis tractandis usitatas, quae partim in libris a clarissimis viris descriptas inveni, partim ab Ill. Middeldorpf, praeceptore carissimo, exercitas ipse vidi, quem, praecipua semper liberalitate et humanitate ductum, cum studio et amore diversas operandi rationes demonstrare discipulis suis solere, notum est. Restat, ut methodos Celeberrimi viri, nusquam adhuc descriptas, quantum pro debili-

1) Chassaignac: Op. citat.
2) Traité de l'écrasement linéaire, pag. 512.

tate mea fieri possit, separatim enarrem, hac re commotus, quoniam salutarem eventum quoad curationem completam, quoad omne periculum absens, quoad cicatricem remanentem haud turpem toties videre occasionem ipse habui.

Quamquam vasorum, quae tumori sanguinem adducunt, ligaturam saepissime eventu prospero carere demonstravi, hac tamen in re adeo moderari velim, quam protuli opinionem, ut ligaturam in continuitate arteriae circumsutam, a Professore Middeldorpf inventam, ubicunque adhiberi atque exsequi potest, tollendae Telangiectasiae aptissimam esse censeam, idque tum potissimum, quum eae corporis partes sunt affectae, quibus facile adaptari ligatura nominata potest, ut proferam exempla: in cute cranii, in labiis, ubi ligatura particularis nihil valuit, quotiescunque est adhibita. Quoad technicam operandi rationem legenda sunt, quae Ill. vir in „den Abhandlungen der Schlesischen Gesellschaft für vaterländische Cultur“ conscripsit, quaeque amico meo Dr. A. Winklewski in dissertatione inaugurali conscribere humaniter permisit. Alius Telangiectasiae tollendae modus a Ill. Middeldorpf professore saepius exercitatus, quem adhibet Naevis planis, diffusis per magnam corporis partem sanandis, in caloris galvanici actione eminus operante consistit.

Cauterium porcellanicum (Porzellanbrenner) candescens spatio quodam apto intermisso Neoplasmati tamdiu apponitur, donec calore illo singulari atque continuo, ex propinquo agente, texturam morbosam plane destrueret. Calore eminus immisso epidermis in modum pustulae sublevatur, textura autem supposita contrahitur atque viescit. Eschara loco illo exorta brevi detruditur cicatricemque haud difformem et planam relinquit. Haemorrhagiae adhuc exempla nulla constant. Morborum historiae utilitatem et praestantiam ejus methodi optime illustrabunt.

Aliquanto profundius sita mali origine, professor Ill. Middeldorpf odontocauterum (Zahnbrenner) candentem tumori inducit, texturamque morbo affectam punctionibus continuis confossam plane destruit. Tenetur ad hanc rationem odontocauter (Zahnbrenner)

sicuti calamus ad scribendum, levique admodum pressione, aut potius nulla, multae continuis locis efficiuntur punctationes sive cauterisationes. Hujusce morbi sanandi rationis prosperrimus nunquam ferre abfuit eventus, cujus rei saepissime testis fui. Sane quidem indicationes, quinam sanandi modus sit eligendus, quum in chirurgia omnino, tum hic diligentissime sunt perscrutandae.

Alia etiam operandi ratio (Setacei candentis supra mentionem feci) excisio cuneiformis est. Si tumor vasculosus aliquantum e corporis superficie promineat, si sit extensione major pro aliis, finibusque distinctis circumscriptus, ut brevi dicam, si sit verus tumor, nec vasculosus tantum, sed telam cellularem vasis interpositam continens, quod in tumoribus prominentibus fere semper accidit, e medio tumoris illius parte quadam cuneiformi excisa, vulneris limites sutura circumvoluta junguntur. Quae operatio eo modo perficitur, ut medicus assistens tumorem duabus partibus fortiter comprimat, operatorque interdum cuneum illum excidat. Tum celerrime sutura circumvoluta conficitur, atque vi haud modica contrahitur. Quam operationem saepissime perfecta sequitur per primam sanatio, nec mali quandocunque eventus exstat locus. In tumore mere vasculoso primum injectionibus, setaceo candente, aliisque modis metamorphosis evocatur, ac deinde excisio perficitur.

Supradictis illius sanationis methodos recentiores breviter tantum adumbravi, non est enim locus omnium singulatim describendi in dissertatione brevi, nec facultas adest ejusmodi descriptionis digne perficiendae. Morborum historiae, quas infra adjunxi, iis, quibus res cognita est, immaginem satis accuratam exhibent, quae demonstrabunt, quantum methodi illae valeant.

Quum Illustrissimus Vir, praeceptor carissimus, humanitate singulari mihi permiserit, ut eos casus, qui in medicina tractanda ei se obtulerant, commemorem, omissis illis, qui in libro „die Galvanokaustik“ sunt descripti, qui sequuntur, enumerabo.

1) Maria Teichgraeber $^{3}/_{4}$ a. n. Telangiectasia congenita palpebrae inferioris sinistrae, magnitudine

pruni, et quatuor parvis Telangiectasiis genae laborabat, quae omnes in dies magis magisque augebantur. Die 16. 11. 55. operatio facta est. Tumor major duobus incisionibus semilunaribus remotus, vulnus sutura circumvoluta communicatum est. Haemorrhagia haud parva. Minores Tel. odontocautero devastatae. Sanatio recuperata est completa.

2) Luise Flöthe ½ a. n. Telangiectasiam de angulo superiore marginis conchae auriculae pendentem congenitam habuit, magnitudine juglandis. Die 25. 4. 56. tres rami Arteriae auric. post. in tumorem influentes galvanocautero discissi et vastati sunt, postea tumor eodem instrumento exstirpatus, quam operationem admodum parva secuta est haemorrhagia. Sanatio exstitit[1].

3) Anna Gutzmann 25 a. nata. Phlebectasia labii superioris, quae 15. 12. 58 odontocautero funditus destructa, die 20, 12 58 escharam ortam dejecit, sub qua cicatrisatio exstitit.

4) A. J. Sachs 58 a. n. Tumor vasculosus brachii pedunculatus 15. 3. 59 ligatura candenti remotus sine haemorrhagia.

5) Bertha Schneider ½ a. n. ex Telangiectasia labii majoris congenita laborans ab eadem 25. 3. 59 ligatura candenti liberata est. Vulnus sine ulla cura sanavit.

6) Johanna Schillheim 39 a. n. ex tumore vasculoso papillari brachii sinistri per duos annos laborans, ligatura candenti a morbo liberata est.

7) Carolus Knappe 30 a. n. Tumore vasculoso pedunculato epicranii opressus, ab eodem liberatus 18. 5. 59 ligatura candenti.

8) Paulus Lohrmann ¼ a. n. Naevo palpebrae inferioris et totius genae sinistrae turpis, die 17. 8. 59 cautero porcellanico ex propinquo adhibito, calore irradiante a malo est liberatus. Tribus post annis quum in clinice apparuisset, cicatricem haud turpem praebuit.

9) H. St. 8 menses nata Telangiectasiam palpebrae inferioris et genae sinistrae habuit. Die 31. 3. 60

[1] Casus illo similimus, quem prof. Schuh in „Oesterreichische Zeitschrift für praktische Heilkunde 1858, Nr. 42—44 descripsit, eventu tantum differt ab illo, quoniam operandi ratio alia fuit.

operata est. Telangiectasia odontocautero leniter punctata est, et postquam tota in superficie destructa est, punctatio in remanentes profundiories partcs est adhibita. Sanatio completa operationem secuta est.

10) Nepomucena Chroscinska 19 a. n. Phlebectasiis in diversis corporis regionibus molestata a Phlebectasia palpebrae superioris sinistrae ante omnia liberari voluit. Cauterisatio cautero porcellanico ter facta tumorem redidit aliquid minorem et resistentem, sed non amovit. Injectio Liqu. ferri sesquichlort. nihil valuit. Tumor denique cultro est remotus inter haemorrhagiam haud parvam. Status aegrotae multo melior est factus.

11) Anna Paul 1 a. n. a Telangiectasia nasi congenita 12. 5. 60. ligatura candenti sine ulla haemorrhagia liberata est.

12) N. 1 a. n. parvam Telangiectasiam alae nasi sinistrae habuit, quae odontocantero candente punctata existere desiit.

13) Maria Scharte 3 a. n. a Telangiectasia alae nasi dextrae liberata est, postquam eadem 31. 10. 60. galvanocautero plano est combusta; 16. 11. 60. remanentes partes odontocautero sunt devastatae, sine haemorrhagia.

14) Clara Liedemann 10 menses n. Telangiectasiam regionis temporalis sinistrae habuit, quae odontocautero punctata in escharam rediit, qua delapsa cauterisatio in remanentes neoplasmatis particulas reiterata est. Sanatio completa exstitit.

15) Clara Renner 1¼ a. n. ex Telangiectasia dorsi nasi laborans, stricturarum cautero cauterisata, sine haemorrhagia malo liberata est.

16) Olga Koch 1. a. n. Telangiectasia genae sinistrae. Die 27. 8. 61. Odontocauter caute in profundum immissus locum ad locum devastavit sine sanguine apparente. Cicatrix pulchra orta est.

17) Paul Goldbert 12. a. n. Naevum vasculosum nasi praebuit, qui 25. 3. 62. Odontocantero in modum descriptum sine haemorrhagia deletus est. Qui quidem casus galvanocaustica ratione sunt operati.

18) Dorothea Gärtner 1¾ a. n. Tumor cavernosus

genae sinistrae magnitudine ovi gallinacei compressione per annum dimidium adhibita augeri desiit, sed minor non est factus.

19) Carolina John 21 a. n. Naevum faciei praebuit congenitum. Excisione cuneiformi facta inter haemorrhagiam haud parvam, et sutura circumvoluta applicata, sanatio exstitit, post multas molestias.

20) Bertha Gengeor 6 mens. n. Telangiectasia ad frontem. Excisio facta est, vulnus sutura circumvoluta communicatum. In operatione haemorrhagia magna introiit, sed tamen sanatio est recuperata.

21) Martha Hellwig 3½ a. n. Tumor cavernosus pedis dextri cultro operatus 9. 12. 54. Die 15. 5. 55 sanatio.

22) Louise Bentmann 19 a. n. Telangiectasia angulorum nasi prope lig. palp. intern. Cutis inciditur, tumor enucleatur, margines vulneris emplastro adhaesivo communicantur, et sanant per primam intentionem.

23) Ernestus Büttner ¾ a. n. Telangiectasia in gena dextra cultro exstirpata, vulnus sutura circumvoluta communicatum est. Suppuratio orta est; postquam autem cicatrisatio incepit, infans rus profectus est et nondum apparuit.

24) Julius Kesselhut 1½ a. n. Telangiectasiam in gena dextra praebuit, quae excisione cuneiformi est vastata. Sanatio per primam efficitur.

25) Emma Käse ¼ a. n. Telangiectasia antibrachii sinistri octo dies post infantem natum orta laboravit. Die 17. 12. 59. Excisio cuneiformis medii tumoris facta est, adhibita compressione laterali a medico assistente facta. Haemorrhagia admodum parva orta est. Post operationem sutura circumvoluta cito facta est. Prima reunio non exstitit. Tamen emplastro adhaesivo coaptati margines vulneris acubus remotis per secundam sanaverunt ad diem 24. 1. 60.

26) Carolus Scholz 27 a. n. Telangiectasiam labii inferioris a pueritia habuit. Excisione cuneiformi inter compressionem fortem Art. coronariae facta sutura circumvoluta vulnus clausum est. Sanatio in 10 diebus per primam apparuit.

27. Carolina Basler $2\frac{1}{2}$ a. n. Tumorem cavernosum congenitum in gena dextra praebuit, magnitudine pomi. Die 6. 8. 60. excisio cuneiformis, compressione adhibita, facta est. Die 12. 8. 60 acus suturae circumvolutae remotae sunt, prima reunione vulnus sanatum ad diem 29. 8. 60.

Desunt nonnulae historiae morborum ex ultimo tempore.

Vita.

Natus sum Julianus Bendowski Posnaniae die 24 mensis Augusti 1834, patre Josepho, quem mihi eodem, quo natus sum anno, mors saeva eripuit, matre Jnlianna e gente Rolewicz, quam mihi dilectissimam Deus omnipotens per longum tempus servet incolumem. Fidei catholicae addictus sum. Primis litterarum elementis a ludi magistro paterno ruri imbutus anno 50 h. s. Posnaniense adii gymnasium catholicum ad Stam. Mar. Magdalenam, quod adhuc auspiciis Ill. Brettner floret. Quinque post annis Trzemesznense adii gymnasium, quod tum Ill. Dr. Milewski rexit, et uno dimidioque anno praeterlapso, auspiciis Ill. professoris Dr. Szostakowski directoris, praeceptoris semper mihi maxime venerandi examine maturitatis absoluto, domum me contuli, ubi per totum annum studiis abfui. Vere demum anni 1858 almam Universitatem Viadrinam adgressus, a Viro Ill. Haase h. t. fasces academicos tenente in civium academicorum numerum receptus apud Ill., nuper mortuum Benedict, gratiosi medicorum ordinis t. illo decanum, rite nomen professus sum. Per quadriennium scholas audivi haec apud Ill. Celeb. Perit. Professores:

Barkow, Betschler, Braniss, Frankenheim, Goeppert, Grube, Heidenhain, Lebert, Loewig, Middeldorpf, Roemer, Ruehle. Privatim docentes DDrs:

Aubert, Cohn, Finkenstein, Foerster, Freund, Grosser, Paul. In exercitationibus autem policl. benignissime me adjuverunt viri Expp. DDrs:

Reinhardt, Radermacher, Stark, Ressel, W. Freund, M. Freund, Dietrich, quibus omnibus viris Ill. Celeb. Exp. gratias ago meritas, debitasque.

Theses.

1) Qui quidem Medicus ex nova est schola, is haudquaquam potest in tractanda medicina litteras negligere antiquiores.
2) Qui hysterici appellantur dolores, ii non aliunde, nisi ex genitalibus nascuntur.
3) Animus irritatus non evocare, consequi Carcinosin mihi videtur.